

ta: Jussu supremi Senatus ejusdem S. Inquisitionis provisum est, ut aliqui S. Theologiae Magistri, Provinciae Hispaniae, Ordinis Praedicatorum, suam sententiam circa praedictas assertiones Doctoris Molinae, & praesertim circa efficaciam auxilii Divini, quam ille negat, scriptis nominibus proferrent. Accedunt, quae omnem dubitationem eximunt, latae supremi Quaestoris jussu, Academicarum, Episcoporum, Theologorum judicia, quibus non de sola Divinae Gratiae efficacia sententiam dicunt, sed in peculiaribus etiam Molinianae Concordiae opiniones censuram expediunt. Quis autem nesciat, utriusque Instituti Professores, de his ipsis mentem suam aperire jussos, de quibus Academicarum, & Episcoporum judicia a supremo Quaestore rogata sunt? Verum haec levia.

Ne quid sine cavillo praetercas, utque in Scriptis Romae transmissis, quorum ego elenchum exhibui, liberius cavilleris, Notarii Generalis Inquisitionis schedulam profers, quinto post anno, hoc est, 1601. Jesuitis rogantibus, datam, ut ex illa noverimus, quae, & qualia illa fuerint, & quibus auctoribus concinnata. Nobis hac brevi schedula non est opus, ut illa noverimus, qui horum omnium scriptorum Autographa, Romae in secretiori Augustinensium tabulario aservata, propriis oculis vidimus, ac magna ex parte descriptissimus. Nemoque erit, opinor, qui nobis, ad ipsa Autographa provocantibus, ac fidem neutrius partis, quo servantur, tabularium indigitantibus, majorem non praestet fidem, quam tibi brevem chartam plagulam venditantem, qua transmissorum duntaxat Scripitorum notarum numerus. Sed & hanc spuriam omnino, ac dolo malo fabricatam, aut certe, ut mitius loquar, ab oscitante Notario scriptam, multa probant.

1. Notarius inducitur, fidem faciens, DD. Inquisitionis misisse Romam, una cum Literis 23. Octobris 1597. Cistam ligneam, tella cerata oblitam, in qua erant scripturae sequentes &c. At Epistola Petri Portocarreri, supremi Quaestoris, Clementi VIII. data, (1) qua transmissa Scripta denunciat (cujus in laudato tabulario Autographum visitur) annum adscriptum habet 1596. Et quidem, pugnat plane, horum Codicum transmissionem ad annum integrum dilatam fuisse. Contat quippe ex hac ipsa supremi Quaestoris Epistola, Academicarum, Virorumque illustrium Censuras tunc statim Romam missas esse, cum primum ab illis confectum est opus: ait enim, non ante potuisse transmitti, quia brevius confecti non potuit. At Censurarum omnium postrema, videlicet Complutensis, anno 1596. data est, Calendis Octobris. Illius igitur anni 1596. mense Octobri, missos Codices oportet, non autem mense Octobri anni sequentis 1597.

2. Percensens Notarius fictus, aut semisomnis, Opuscula Tomo 1. Manuscripto, transmissa Cista incluso, post enumeratos Codices, a Praedicatoribus datos, notat subinde, Quaternionem particularem, quem Magister Zumel scripsit in sui, & Patrum Dominicanorum defensionem, sub titulo, *Tertia Defensio gravissima &c.* En tibi alteram aberrationem patentissimam. Tres enim omnino defensiones scripsit Zumelius, totidemque Romam transmissae sunt: cujus fidem facit Dominici Bannes authenticum Instrumentum, a nobis laudatum lib. 1. cap. 22. quo eas, uti suas, haberi vult, suaeque ipsius doctrinae, etiam in judicio Pontificio, fidem facere. Eccc vero tertia duntaxat, relicta prioribus, missa esset?

3. Apologia FF. Praedicatorum, quae primum inter submissos Codices locum occupat, subscri-

pta dicitur a viginti Patribus Ordinis S. Dominici. Attamen viginti quinque in Autographo, Romae apud Augustinenses aservato, subscripti sunt. Neque reponi jure potest, quod pro ingenita audacia subjungis, Quinque a corruptoribus Instrumentorum intrusus fuisse postea, ad numerum incrementum: hoc est, ut satis innuis, ab ipsis Praedicatoribus, in quorum commodum cederet auctior subscribentium numerus. Quid-ni enim parem a vobis fraudem admittam objicerem, in Codice, cui titulus: *Compendium, seu resolutio controversiae Antonii de Padilla, & Francisci Suares.* Cum & huic novemdecim Societatis Theologi subscripti legantur in Romano Augustinensium Autographo; cui tamen sexdecim duntaxat subscripti, ait tuus ille Cretensis Scriba, cujus fidem nobis ostentas? Si enim adesse calumniandi animus, tam liberum mihi foret, tres illic a Societatis corruptoribus intrusus dicere, ad numerum incrementum; quam tibi liberum putes, quinque a Praedicatoribus priori Codici additos, calumniari. Sed etsi ea & vestrum, & nostrum fuisset audacia, ut nova Autographi chirographa addere potuissent, quo ex tempore alienorum cultodum fidei credita sunt; dic, qua arte fieri potuit, ut nonnulla etiam abaderent, quin ulla ipsis Autographis litura appareat? Ita porro evenisse necesse est, si producta a te Schedula fidem damus. Etenim Tractatui Theologico, a Sociis Toletanae Provinciae porrecto, & cum reliquis Romam misso, nonnulli undeviginti subscripti sunt in Autographo; cum tamen tuus ille falsarius ad viginti subscriptos dicat. Et Codici Collegii vestri Hispanensis sex ille subscripti ait, cui quinque duntaxat subscripti sunt. Nullum tamen abradi, aut expuncti ejusmodi chirographi vestigium deprehenditur. Viden, quam inextricabili negotio te involvas, qui, ut servatos Romae Codices primigenios vitiligines, insulsi fabricatoris, aut certe oscitantis, ac semisomnis Notarii schedam oberudis, erratis, mendis, anachronismis infartam?

Quandoquidem autem cavillandi ansam inde arripis, quod lib. 1. cap. 13. Joannem de las Fuentes, Cardinalis Austriae Confessarium, Praedicatorum Apologiae subscripsisse, dixerim, ordine sexto, qui tamen cap. 22., ubi subscribentium nomina ex integro recitantur, non jam sextus in ordine est, sed undecimus; hunc tibi cavillum uno verbo retundo, ac rem, ut gesta est, simpliciter narro. Nempè Praedicatorum Apologiae subscribentes, utpote numero multi, chirographa sua binis columnis appinxere; sic ut Joannes de la Fuente primum dexterae columnae locum occuparet, Dominicus Bannes primum sinistrae; atque ita singuli per ordinem: eaque idcirco ratione factum, ut Joannes de las Fuentes sextum dexterae columnae locum obtineat. Quod cuique, Autographum Romae servatum, & a me in Codice Manuscripto pari forina descriptum, confusentem perspectum est. At cum distincta per geminas columnas chirographa in unam Typographis compergerit, factum tandem, ut qui sextus dexterae columnae in Autographo legitur, undecimus in edito exemplo numeretur.

Quorsum tamen ista? Illud ad Molinae res pluris interest, num Romam a supremo Hispaniae Quaestore submissae Censurae Molinianae dogmatibus faverint, an verius eadem illa notis inusserint. Qua de re prolixius discernendum mihi esset, ut quas hac occasione ex Quaestionum margini momenti Tractatore pene ad verbum fabulas exscripti, probe refellerem, nisi has omnes diu antea

antea retudissem. De Censuris enim Academicarum, Salmantinae, Complutensis, & Seguntinae, nec non Episcoporum Segobienfis, & Placentinae, caeterorumque Theologorum fuisse dictum Tom. 1. Gallicae Defensionis, capitibus 6. & 9. ac tum hic lib. 1. cap. 23. ubi tua de iisdem formata adeo distinde, ac minutatim reselluntur, ut mirari plane subeat, eandem te ecrabem recoxisse, nec verbum ad ea, quae contra objecimus, repofuisse. Paris futilitatis sunt, quae de aliis Galliae, Italiae, Hispaniae Theologorum Censuris, ex eodem fabulatore, recitasti. Quae cum a nobis, memorata Gallicae Defensione, cap. 7. ac subinde lib. 1. Historiae, cap. 24. confutata fuerint, ac palam falsi convicti; quid te nisi garrulum cavillatorem habeamus, veteres manias ad nauseam usque recinentem, dataque responsa fide non bona dissimulantem?

CAPUT XIV.

De novis Praedicatorum inter, & Jesuitas enatis dissidiis, indicti in Hispania silentii occasione: necnon de pactis subinde initis, Catholico Rege sequestro.

ET hic rursus refutatam pridem a me cantilenam (1) recinis: eoque ingratus, quod nec ad carmen, nec ad institutum illa sit; sed & a concentu, & a suscepto argumento procul excedat. De silentio quippe, paribus dissidentibus indicto, quaestio vertitur; quo nimirum in Hispania cautum erat anno 1594., ne de Divinae Gratiae quaestionibus interim disceptarent, donec ascitam ad eae causam dijudicaret Romanus Pontifex; & quid ea de re sentiendum Theologis esset, judicio decerneret. Tu vero, quo neglectam a nostris indicti silentii legem ostendas, lites nescio quas, Alphonso Avendaño, Gonzali Romero, Martino Xemio a Societatis Actibus intentatas, obtrudis, oblatos Nuncio Pontificio libellos supplices oculis ingeris, quin etiam latae in Avendanium sententiae specimen factas. Nec advertis, (adeo nimirum inconsiderate, & imprudenter lacrimas confus!) alio plaec pertinuisse lites illas; nec de violata indicti silentii lege actum illis; sed de publicatis adversus nascentis Societatis Institutum libellis, habitisque ad populum concionibus, quae, ut ipse quidem recitas, vovendi apud Socios, vivendique formulae, leges, constitutiones, instituta damnabantur. Quin etiam usque adeo mentem exacerat livor, ut non videas, intentatas diu ante fuisse lites illas, quam servandi silentii lex a Nuncio Pontificio denunciata esset. Silentium enim indictum narras die 15. Augusti anni 1594. litem autem Romero intentatam, inquis, (2) ante diem ejusdem mensis duodecimam; immo Avendanium vadiumonium obire jussum observas, ab ipso mense Martio ineunte, quod nonnulla adversus Societatis Institutum e sacro suggestu protulisset.

Quae igitur illatae in ipsos actionis instrumenta venditas, ut incautus lectoribus fucum facias, non expendo: quippe qui peregrina argumenta, ad Auxiliorum Historiam nihil attinentia, versare nolim, etsi a te livore malo, ac per invidiam ingerantur; nec ea mente, eoque consilio in hanc aleam ingressus sim, ut cumulatam, & integrum nostrum omnium defensionem adornem. Satis mihi fuerit alibi (3) observasse, probrofas illas in nascentem Societatem criminationes, turbas, querelas, unde amaras lites enatas narrare gettis, non a nostris duntaxat prodidisse, sed a Serry Tom. II.

Avrentissimis etiam Academicis, supremis Curis, Cardinalibus, Archiepiscopis, aliisque primae notae Viris; quos minus propitia de nascente Instituto judicia tulisse, turbasque in vestros gravissimas excitasse, Orlandinus, Societatis Historicus, narrat: ut vel hinc univocum perspicuum fiat, ea nostris invidia peculiariter onerari non posse.

Sed nec extra chorum cecinisse, fat fuit. Ab immani exerratione, putidus anachronismus infarta, ad nova commenta dilaberis, ubi Philippus II. Hispaniarum Regis sollicitudinem, pro pace Dominicanos inter, & Socios faciendam, narrandam aggrederis. Regiae scilicet Majestati non multis inde diebus nunciatum, ais, Dominicanos Burgis, Palentiae, Vallisolei, Salmanticae, Valentiae, Caesaragusta, palam in Jesuitas invehcos esse; ac in primis arguisse, doctrinam ab ipsis pravam, & haerese affinem propugnari: quo audito, in novi dissidi Auctores, per Didacum Yebes, quo is ad sacras Confessiones Arbitro utebatur, inquiri iussit; qui, re tota comperita, ad Regem retulit, certis se testimoniis comperisse, culpam penes Patres Dominicanos residere. Ad vero purum, parumque commentum est, a te pro arbitratu venditatum: tantumque abest, ut, quod a tuis nunciatum Regi fuerat, veritate niti compererit Didacum Yebes, ut potius per summam calumniam nobis afflicto, demonstraverit Hieronymus de la Nuza, supplici Libello, Regi dato die 22. Augusti 1597.; cujus integrum exemplum dedimus in Appendice.

Hunc tu audaciae plenum, calumnias, farcas mis, censuris in Societatem infartum, clamas. At non clamoribus, sed certis momentis est opus, ut narrata illic facta discretissima resellantur. Nam quod ex illo audaciae specimen proferis, unde totius mercimonii pretium dignosci possit, adeo non est nota dignum, ut te potius morosum Aristarchum esse convincat. Quid enim certius, quam doctrinae, antiquae Ecclesiae Traditione receptae, publicam professionem, (de ea quippe sermo est) nobis interdici, aut silentium de hac ipsa imperari non posse? Quod utique non ad Ecclesiasticae Potestatis injuriam dictum est, sed ad praecae doctrinae commendationem, quam silentio contineri, periculosissimum sit.

Unum in tanto calumniarum plaustrum, quo nostri a vobis onerabantur, veritatem habere, fassus apud Hieronymus de la Nuza: in Aragoniae Regno, de Divinae Gratiae auxiliis, citra tamen partis adverse censuram, disputatum a nostris in scholis, nulla Pontificii interdicti ratione habita. At & hoc ipsum culpa vacare, demonstravit, quod nullum illic Edictum, quo modesta etiam de Divinis Auxiliis disputationes prohiberentur, Apostolicae Sedis, aut generalis Inquisitionis nomine, denunciatum esset: *Ubi enim non est lex, nec praevaricatoria.* Rom. 4. Quorsum autem Castellanis duntaxat, ac non pariter Arragonibus, denunciatio facta fuerit, decretoria plane ratio data est lib. 1. cap. 25. ne hic ipse promulgationis neglectus arrogantiam, quam obijcis, contumaciae notari possit. Etsi nec nostris, si quis forte neglectus esset, imputandus veniret, sed fidei Quaestoribus, qui necdum mandata sua Aragoniae Praepositis dederant.

Anno primum nonagesimo septimo, ac diu post delatas Jesuitarum querelas, per universum Aragoniae Regnum promulgata est interdictio: quam licet a nostris repugnanti animo exceptam inuenerim, non est tamen, cur violatam idcirco ab illis obedientiam objicias. Nam utrumque

(1) Tom. 2. Def. art. 44. (2) Pag. 179. 183. (3) Sect. 3. cap. 1.

diferte significavi; & nonnullam in recipiendo mandato animi repugnantiam, & præstitam interim obedientiam: Pariter, inquebam, obsequentiſſime, ſed iurimum animi ſenſum reſcripto ſignificavimus. Nec aliunde natam illam in noſtris animi repugnantiam obſervavi, quam quod indiſi ſilentii decretum oculiſtis Jeſuitarum corrivationibus ſuſpicarentur extortum; ne publicis de Divina Gratia prælectionibus Molinianas novitates impeterent, quibus illi diſcipulos, & amicos, diſtributis clanculum quaternionibus, inſiciebant. Quæ omnia memorato Libello, Catholico Regi dato, unde tibi cordolium eſt, prolixius continentur.

Jam quid pervicaciam illam exagitem, qua Gabrieli Henao reſutatas a me ſæpius aberrationes, de pactis, Catholico Rege ſequeſtro, veſtros inter, & noſtros iniitis, recinare pergis, novique pigmentis obducis? Primam ille paſſionis conditionem, proponente, atque rogante Societatis Viſitatore, a Rege ſancitam, effutierat; qua videlicet ferebatur, ut Ordinum Superiores Collegiis, & Univerſitatibus ſuis Lectores præſerent, doctrinæ S. Thomæ optimæ affectos, quique mutuas ſimilitates nec foverent, nec antea foriſſent: Quod ego, Societatis Viſitatore nequaquam inſtante, ſtatutum offendi; quia Regia auctoritate jam ante ſancitum fuerat, quod mutuam de pace conſultationem coram Yepeſio haberent utriusque Inſtituti Moderatores. Inſtas tu modo, nobiſque magiſtrali ſupercilii ignorantiam exprobras, quod neſciverimus, Philippum Regem, de excitis turbiſ admōnitum, primo quidem ex iſtis, & duorum Ordinum Præpoſitis intelligere, voluiſſe, quas iſti, ad pacem, & amicitiam inſeudam, rationes opportuniffimas, efficaciffimasque cenſerent; eaque de cauſa Provinciale Dominicorum, & Viſitatore Societatis, per Didacum Yepeſium moneri juſtos, ut ſcripto complecterentur, quæ opportuna putarent: ac tum poſtea Regem Catholicum, perpentiſ utriusque libellis, Litteras pariſ exempli ad utramque ſcripſiſſe die 15. Martii 1596. quibus utramque jubebat convenire ſimul R. P. Didacum Yepes, audituros ex eo, quæ paciſ conditiones faciendæ forent. Itane, Cenſor egregie, quod iſthæc neſciverimus, ignorantiffimi ſumus? Dic ergo, ſcientiffimum caput, qui fieri potuit, ut antequam Dominicanorum, ac Jeſuitarum Præpoſitos Litteris illis conveniret Catholicus Rex, ab iſdem in antecellum ſcire voluerit, quas iſti rationes, ad pacem, & amicitiam inter duos Ordines inſeudam, efficaciffimas judicarent; illorumque libellos, queis, quæ opportuna putarent, ſuggeſſiſſe ſinguntur, receperit in antecellum, atque expendit? Quandoquidem hiſ iſtis datis Epitoliſ diſerte ſignificat, ſe ad illam uſque diem iſdem declarandum diſtuliffe, quid peculiariter rei eſſet, quæ de cauſa eodem Matritum evocaſſet: illoſque propterea Confeſſarium adire jubet, rem iſpam, quæ illos ante latuerat, percepturos. Hinc diſce, Cenſor egregie, paululum de ſupercilio remittere, quod tunc maxime tumet, dum minime oportet. Atque id ſcito, Scriptum Viſitatoris Sociorum, a te ex integro recenſitum, (quo octo capita recenſebat, quæ illi ad pacem inſeudam profutura videbantur) nec ex mandato Regio concinnatum eſſe, nec ejus Majeltati ante porrectum, quam Yepeſium adire die 15. Martii juſtus eſſet; alias ſua Regiſ Epitoli� veritas minime conſtaret. Accedit, Prædicatorum, ac Jeſuitarum Præpoſitos, auditis ex Yepeſio tribus inſeudæ paciſ conditionibus, a Rege Catho-

lico præſentis, prece, atque obſecratione humili contendiffiſſe, ut quarta inſuper adſiceretur: Quod utique minus eveniſſet, ſi paulo ante ſcripto complecti juſſi eſſent, quæ ad pacem inſeudam neceſſaria cenſuiſſent.

Ut ut tamen iſpa res fuerit, ac ſeu, quam obrudis, ſcriptuſculam a ſe ipſo proçuderit Societatis Viſitator, ſeu, mandante antea Rege, delinearit; fraudis, dolique ſuſpicionem non vacat inſinuata illic ab eo ſpecioſa conditio de tenenda ab utriusque ſcholæ Profeſſoribus D. Thomæ doctrina: quippe quam gemina clauſula circumscriperat: 1. Ut gravem quemque Auſtorem, in exponenda D. Thomæ ſententia, ſequi licitum eſſet: quo vel uno lata erroris, ac novitati patebat via: 2. Ut interpretationis ratio, ex aliqua præſertim poſterioris ætatis D. Thomæ Concilii definitione duceretur: Quasi antiquæ Eccleſiæ Synodi, adverſus Pelagianos, ac Semipelagianos celebratæ, juſtam quoque interpretandi rationem ſubminiſtrare non poſſint; aut forte viros Theologos, de ſolius Calviniffimi, ac non item Pelagianiffimi ſuſpicionem declinanda, ſollicitos eſſe oporteat. Quare non id ego Viſitatoris, uti debeat, vitio dedi, quod neminem jure conqueri poſſe dixerit, ſi D. Thomæ doctrinam aliter forte exponi audeat, quam hic propriis Magiſtris, cui inſuevit, illam declarare ſolitus fuerit: ſed quod germanam ſanctiffimi Doctores mentem, ex cujuſque ſcriptoris, modo gravis habeatur, interpretatione dignoſcendam, ſignificavit. Nec Banneſii, uti loqueris, ideas omnes cæca quadam obedientia amplectendas, effutiſ, ſed ſubdolam Viſitatoris ſtropſham exagitavi, qua per ſpeciem amicitiaſ paciſcendæ, Thomiſtas, uti Synodi Tridentinæ Decretis adverſos, oblique ſuggillabat; tritamque Molinæ calumniam, unde maxime mota lis erat, iſtis paſſionis conditionibus inſeudam innuebat.

C A P U T XV.

De laxata interim per Summum Pontificem ſilentii lege; deque errore ab Hſpanis Queſtoribus admiſſo in hujuſce laxationis denunciatione.

Quam grata Sociis, tam ingrata Prædicatoribus acciderat ſervandi ſilentii lex. Ut enim ſilere nova proçudentibus utile eſt, qui cum Semipelagianis (1) obrudere ſolent, Auguſtini doctrinam, etiamſi vera ſit, non promendam, quia nullo periculo, qua intelligi nequeunt, continentur: ita veritatis afferentibus permoleſtum, qui ſanctiffimi Doctores eſſatum alta mente deſixum habent: Dicatur ergo verum, (2) maxime ubi aliqua queſtio, ut dicatur, impellit; & capiant qui poſſunt: ne forte, cum taceatur proçter eos, qui capere non poſſunt, non ſolum veritate fraudentur, verum etiam falſitate capiantur, qui verum capere, quo curvetur falſitas, non poſſunt. Tuendæ itaque veritatis ſtudio tribuendum, quod eam reſcindi legem, procurarint Thomiſticæ ſcholæ Profeſſores. Quin etiam, ſi hanc iſpam ſibi ſolis laxari petiſſent, ut ea interim Jeſuita tenerentur, (quod tamen an ita ſit fatiſ, ambigitur) non idcirco tamen, uti verſuti machinatores, traducendi forent; qui, ſilentibus æmulis, liberam ſibi campum dari vellent. Alias non abſimili quoque calumnia Proſper, & Hilarius, peti poſſent: & quæ ab iſtis apud Cæleſtium I. Pontificem Maximum obſecratio facta eſt, ut Auguſtinianæ doctrinæ ſcribitur Liberum non eſſet, habere pro voluntate ſermonem, pari maledicentia,

ac

(1) Apud D. Proſperum, Epit. ad Auguſt. (2) Lib. De dono Perſ. cap. 16.

ac mutuatis a te verbis carpi poſſet, tanquam ingenioſum, ſolerſque conſilium, quo, Maſſilienſibus interim ſilere juſſis, factaque ſibi de controverſis materiis palam tractandi libera poſſeſtate, citra moram, & aleam, magno laboris, ac periculi compendio, clarum, ac certum referre victorie ſpeciem, & prælium triumpho prævertere, meditabantur.

Et hos tamen ſcholæ Thomiſticæ Profeſſores malediſtis atrociffimis oneratis. Ac, ne quid audaciaſ deſt, Libellos Regi Catholico, ac tum Clementi VIII. ab iſdem oblatos, queis pro obrinenda ſtatuta legis laxatione ſupplicabant, ab utroque rejeçtos, effutiſ, tanquam ſarcamiſ, & calumniis in Societatem inſartos. Rideo declamationis præſidentium. Et calumnias quidem, quas vocas, & a Bellarmino contraria ſcriptione reſuſas obſervas, certiffimis documentis nixas offendimus Tom. 2. Gallicæ Deſenſionis, art. 49. & Bellarminum, domeſtica cauſa ſtudio occupatum, falſi convicimus. De ſolis modo Libellis agendum, bonis ne, malive avibus, tum a Rege, tum a Pontifice recepti ſint.

Priorem a Philippo II. rejeçtum, hac una ratione contendis, quod, eo lecto, reſponſum oratoribus dederit: Rem apud Summum Pontificem urgeri oportere, qui ſervandi ſilentii legem edixerat; ſequæ alia curaturum, quæ proprii juris, & auctoritatis eſſent. Atqui contra ego, Philippum poſtulatiſ hoc ipſo annuiſſe, facile colligo. Neque enim id ab eo contendebat ſupplices oratores, ut latam a Summo Pontifice ſilentii legem reſcinderet ipſe; ſed, ut ſumma, qua valebat apud legis conditorem auctoritate & gratia, eandem reſcindi, aut temperari proçideret: quod iſe ultro facturum, ſponſondit dato reſponſo.

Libellum alterum Clementi ſubinde porrectum, pro obtinendo temperamento, Sanctitati Sux acceptum, probatumque, evincit datum Reſcriptum, quo ſe Prædicatorum poſſulatiſ annuere, diſertiffime proſequeretur. (1) Ob ingeniem inſtantiam, (novi mandati verba ſunt, priſtinam legem temperantis) que apud Beatitudinem Suxam ſit, ad ſupradictæ prohibitionis moderationem, (cum fieri non poſſit, quominus hoc de argumento in Cathedralis ſæpius agatur) Sanctitati Sux placuit, eam, ad novum uſque mandatum, ſeu declaracionem, temperare. Equi quaſo urgenti, atque inſtanti ſollicitudine perorarunt, ut nonnihil priſtinæ legi temperamenti afferretur? Quidve humili prece ſignificarunt, fieri omnino non poſſe, quominus de Divinis Auxiliis ſæpius in ſcholæ pulpitiſ ageretur? Annon Prædicatores, porrecto Libello; cum ex adverſo Bellarminus, contraria ſcriptione Pontifici dato, contenderet, nihil ſcholiſ effocere interdicitum, modo ne foret diuturnum?

At inquis, continebat, teſte Bellarmino, memorialis Prædicatorum libellus ſex rationes, quibus probare conabantur, ſilentium imponendum fuiſſe ſolis Patribus de Societate Jeſu: Interdicti vero laxatione, æqua utriusque diſputandi venia facta eſt: non itaque Prædicatorum ſupplicationibus annuit Sanctiffimus Pontifex, quin potius repugnavit. Verum utramque liquet eſſe falſiffimum, quidquid de primo tuus nobiſ eſſutiat Bellarminus initio dati Reſponſi. Cuique enim, libellum memorialem legenti, perſpectum eſt, ſex illis rationibus recenſitis, id poſſimum a Prædicatoribus demonſtrari: Fieri omnino non poſſe, ut in publica Theologiæ profeſſione a Divinorum Auxiliorum tractatione temperetur: nec niſi oblique, ac veluti ex occasione, hoc alterum adſici. Si cui, donec inentata lis finiatur, ſilentium inſery Tom. II.

dicendum eſſet, in ſolos Societatis Theologos, novorum dogmatum fabricatores, id oneriſ eſſe conjiciendum; non in ſcholæ Thomiſticæ Profeſſores, quos antiquæ doctrinæ poſſeſſio commendabat. Bellarminus autem domeſtica cauſa tuendæ totus intentus, falſam oblati libelli ideam expreſſit, ipſo ſtatim initio dati reſponſi: quodque illum urebat maxime, id ipſum rei caput eſſe aut finxit, aut voluit, tameſi acceſſione tantum a Prædicatoribus poneretur. Alterum de facta ex æquo utriusque ſcholæ de Divinis Auxiliis diſputandi venia, dataque utrique parti, paribus conditionibus, facultate doctrinam domeſticam propugnandi, conſutatum eſt Tom. 2. Gallicæ Deſenſionis, art. 50. ac tum hic lib. 1. cap. 26. laudatiſ Cardinalis Madrutii, & Franciſci Pegnæ, Rotæ Romane Decani, diſertis Epitoliſ, necnon Hiſpanicæ legationis inſtrumentis, que tuas omnes technas, & cavillos elidunt, ingenſque intra utramque ſcholam diſcrimen, a Pontifice poſitum, conteltantur: (2) Factam ſcilicet Prædicatoribus veniam de Divinis Auxiliis diſputandi juxta S. Thomæ mentem, uti habitus egerant; Jeſuitis & contra, non uti habitus egerant, ſed ea ſolummodo lege, ut ſanam, & Catholicam doctrinam tuentur. Tameſi alienis teſtificationibus non eſt opus, ubi Reſcripti Pontificii verba diſertiffima ſunt: Facta intendere a i dati Padri dell'Ordine de Predicatori, che ſua Santità moderando la prohibitionem facta, concedo loro facultà, che poſſano liberamente, e circa la materia de Auxiliis Divine Gratia, & eorum efficaciam, conforme alla dottrina di S. Thomas, leggere, e diſputare, come hanno fatto per il paſſato. E ſimilmente a i Padri della Compagnia, che poſſano ancora eſſi leggere, e diſputare della medeſima materia, inſegnando ſempre però ſana, e Catholica dottrina. Hoc eſt: Predictis Ordinis Predicatorum Patribus ſignificat, Sanctitatem Suxam, predictam prohibitionem moderando, eis facultatem concedere, ut libere poſſint de materia Auxiliorum Divine Gratia, & eorum efficaciam, conformiter ad doctrinam D. Thomæ, leggere, & diſputare, ut antea fecerunt: & pariter Patribus Societatis, ut poſſint & ipſi legere, ac diſputare de eadem materia, docendo nihilominus ſemper ſanam, & Catholicam doctrinam.

Audiamus nihilominus cavillantem, & contra diſertam instrumentorum fidem rancida, ac reſutata ſæpius argutia diſputantem. "Hoc iſpam, inquis, in controverſia poſitum erat, utra pars litigantium doceret conformia menti S. Thomæ. . . . explorandum igitur erat, utra pars faventem ſibi haberet D. Thomam. Expectantur autem, pro cauſe hujus inſtructione, judicia Doctorem, Prælatorum, & Academiaſ Hiſpaniaſ: expectabantur rationes, & fundamenta omnia, que Dominicani, & Jeſuitæ, pro ſua quique ſententia parabant: necdum documenta illa Romam perlata erant, necdum de veritate iſpa inſtructus Pontifex. Quæ ergo, non dico, prudentia, ſed æquitate, declararet, Prædicatores antea ſemper, & nunc etiam conſormia docuiſſe menti S. Thomæ, atque adeo veritatis prærogativa gaudere? Nonne cæco modo, imprudenti præcipitantia, (quod nefas ſit cogitare) de re ſibi incognita, eaque graviffima, Summus Pontifex pronuntiaviſſet? "Hæc tu putida argutia triumphos agiſ. Sed hos tibi Conceltari tui demoliantur, Chriſtophorus Ortega Tom. 1. Controv. 3. De Decreto, diſp. 1. quaſt. 4. certam. 3. pag. 468. & Paulus Leonardus parte 1. Vindictiarum Scientiæ-Mediæ, ſect. 8. qui quod

L 2

(1) Extat lib. 1. cap. 26. (2) Vide lib. 2. cap. 30.

quod facta argutia fundamentum ponis, falsissimum esse voluit; omniaque tunc instrumenta liti & Romam allata, & diligenter excussa, profidentur. Exemplaria, Christophori verba sunt, utrobique allata fuisse, quibus Romæ diligenter inspectis, quatuor post annos, Clemens VIII. tam Religiosis utriusque, quam quibusvis Ecclesia Catholica Scholasticis Doctoribus, & Professoribus, utramlibet sententiam trueri, docere, ac legere, publice etiam pro Academicarum more, diplomate suo arbitrium liberum fecit. &c.

Eia tamen, & tuos illos Concellitas, uti ea parte delosos, ac mille mendaciorum, in hac Auxiliorum Historia breviter delibanda, convictos rejiciamus. Te ipsum hac tua argutia jugulas, Eleutheri, quæ si quid evicit, ut constat, non potuisse jam tunc Romanum Pontificem dato Rescripto infamare, Prædicatores ante semper, & tunc etiam conformia Doctore Angelico docuisse; id quoque evincit, non potuisse jam tunc Romanum Pontificem dato Rescripto denunciare, quod illum denunciasset contendis, posse nimirum ex æquo Dominicanos, & Jesuitas suam utriusque sententiam docere, atque defendere, modo sanam, atque Catholicam doctrinam tueantur. Sic enim ego, cum liberis, puri tecum subtilitate disputabo: Hoc ipsum in controversia positum erat, „utra pars litigantium sanam, atque Catholicam doctrinam tueatur; illi namque, ut Pelagiani, isti, ut Calviniani, traducebantur. „Explorandum igitur erat, utra pars de Divina Gratia sane sentiret, atque catholice. „Expebantur autem etiam tunc ad id explorandum, judicandumque, necessaria documenta. „Qua ergo, non dico, prudentia, sed æquitate denunciasset Romanus Pontifex, posse ex æquo Dominicanos, ac Jesuitas suam utriusque sententiam docere, atque defendere, modo sanam, atque Catholicam doctrinam tueantur? Sic enim, quod in controversiam veniebat, uti certissimum judicasset, posse scilicet utriusque Scholæ sententiam cum sana, atque Catholica doctrina componi. „Viden, Eleutheri, quo tua ducat argutia? Id itaque fatearis, oportet, non ideo consequens fore, ut de summa liti jam tunc judicaverit Summus Pontifex, etsi dato Rescripto oblique significarit, Prædicatores ante semper, ac tunc etiam conformia D. Thomæ docuisse. Quorum vero ita? Quia fiduciarum duntaxat Rescriptum erat, atque ad tempus: *sino ad altro suo ordine, o dichiarazione*. Sic enim, donec de lite statuatur, ex jure, & æquo visum est, Dominicanos interim Sociis anteferri, spectatis saltem causa præjudiciis: cum illi ex antiqua tradenda doctrina suæ possessione, citra injuriam, re nondum eliquata, deturbari non possent; isti ex adverso ob novellam, quam se invexisse non omnino diffitebantur, doctrinam, digni essent, quibus docendi libertas interim etiam adimeretur. De qua quidem antiquæ doctrinæ, a Prædicatoribus assertæ, possessione, deque novellæ, a Jesuitis in Scholâ investæ, libera eorumdem confessione, dictum satis a nobis est, lib. 1. Hist. cap. 13. & hac ipsa Sectione 3. cap. 2. 9. 10. 11. Ne vel nostris plus justo tributum, vel quidquam vestris per calumniam afflictum, queri possis, refutatæque jam narias iterum occentare.

Nec nos admodum anxios habet quorundam Quæstorum Hispanorum auctoritas, qui, denunciata partibus dissidentibus Pontifici interdicti laxatione, Dominicanos, ac Jesuitas conditione patres fecerant, data utriusque libera facultate, *legendi, ac disputandi de presata materia de Auxiliis*

Divine Gratiæ, & eorum efficaciæ, ut ante fiebat: ea nihilominus lege, ut sanam semper, & Catholicam doctrinam propugnarent. Quandoquidem de mente Pontificis judicandum venit ex Autographo ipso, Roma transmissio, ejus exemplum dedimus lib. 1. cap. 26. non ex vicariis Hispanorum Quæstorum instrumentis: Maxime cum in eos, de violata Pontificis mente, ac voluntate, actio a Dominicanis instructa sit. Næ te vero fallacem adulatorem, atque palponem, qui Hispaniæ Quæstos, sicubi tuis contra jus, & æquum, adnaverint, inculpato, nullique errori obnoxios haberi velles: spectataque pietatis, ac doctrinæ Virum Franciscum Pegnam, una mecum maledictis laccis, (1) quod nonnulla Clementis VIII., in eodem concitati, cruda verba retulerimus: cum tu interim nec Episcopis, nec Eminentissimis Principibus, ac ne ipsis etiam Summis Pontificibus parcas, si quid eos, in hujuscæ causæ tractatione, humani passos, existimes? Nos ex certis Historiæ legibus, quæ probatis instrumentis inserta legimus, ea haud gravate litteris dedimus, ne susceptæ causæ merita deserenda putavimus, ne Quæstorum, aliorumve, si quis fuit error, aut occitan-tia proderetur.

Tota vero aberras via, dum silentii legem paribus conditionibus utrique parti anno 1598. laxatam, probaturus, Joannis Puteani, & Andrea Duvalii suffragia producis, factam a Clemente VIII. utriusque sententiæ propugnandæ potestatem, asserentium. (2) Non enim ad factam tunc temporis disputandi veniam alludunt, sed ad extremam habitorum Romæ Congregationum clausulam digitum intendunt: erroreque Theologis familiari, quod Pauli V. est, ac fiduciarie duntaxat Rescripto interim toleratum ab ipso fuit, Clementi VIII., veluti litem ultimo finienti, occitanter ascribunt. Sed neque, si ad annum 1698. respicerent Duvalius, & Puteanus, ulla illorum suffragii ratio habenda foret: quippe qui, nulla Pontifici Rescripti habita ratione, non nisi ex facta Quæstorum Hispanensium denunciatione, eam, bona fide, Pontificis mentem esse censuissent, quam illi publicato edicto denunciaverant.

SECTIO QUARTA.

Expeditur Eleutherianæ Historiæ Liber tertius, quo triplex causæ cognitio, Romæ habita ab anno 1597. ad 1600., deprimitur, corrumpitur, vellitur.

HAgenus Historicum aut egisti, aut simulasisti. Belgii, & Hispaniæ turbines, quos Societati ad votum fluxisse dictitabas, narrare ad pompam, ac percellere gestiisti, quo me, Gallico sub celo natum, tanquam Belgicarum, & Hispanicarum rerum rudem, in singulis ferme capitibus hallucinatum offenderes. Quæ res eo me impulit, ut geminos illa Historiæ tuæ libros non subultrum, sed continuata serie dispungerem; totumque mendaciorum, fabularumque contextum, ne minimis quidem omissis, scrupulosius excuterem. Nunc, ubi ad Romanum examen ventum est, in quo Molinianas res minus ex voto processisse, fat bene nosti, Historici officio neglecto, a factis ad jura diversis: malique litigatoris, cui causa cecidisse cordolum est, personam induens, non jam nudam rei gestæ narrationem adornas, sed satyræ scribis. Inkrita Romæ judicia deprimis, initos congressus despicias, Censores calumniis atrocissimis oneras, ac velut adversarios insequeris; spretas, damnatasque Molinianorum Acto-

(1) Lib. 2. Cap. 30. (2) Joan. Put. 1. 2. quæst. 111. dub. 4. And. Duval. Traçt. de Gratia quæst. 4.

Actorum chartas denuo ingeris, Thomistarumque instrumenta, sacri Confessus judicio probata, aut omittis ex integro, aut leviter cavillaris, ut de tota demum lite, non ex meditata Apostolicæ Sedis sententia, sed ex solis, quæ fingis animo, causæ meritis statuatur. Quid plura? Eo impudentiæ, atque audaciæ progredieris, ut habitas primum, mandante Pontifice, ac præsentibus Cardinalibus, Madrutio, & Arrigonio, Episcoporum, ac Theologorum Congregationes, clandestinas conductitiorum hominum coitiones non semel appelles.

Boni ne, malive litigatoris ista sint, cæteri dixerint. Nos interim, pro suscepti muneris parte, relicto dogmatum, ac juris examine, quod penes delegatos Judices fuit, in factis duntaxat hærebimus. Utque judicata liti his historiam dedimus unice, nec causam ipsam novæ disceptationi committimus; ita datæ duntaxat historiæ fidem, quibus a te locis impetitur, asseremus; nec veteres chartas, in quas judicium latum est, ad trutinam revocabimus. Ac donec Thomisticæ partis instrumenta, quibus recuzæ modo Molinianorum Actorum declamationes confutatae sunt, publici fieri stant; haud aliud ad eas responsum accipies, nisi celeberrimæ Congregationis judicium, quo fuit, nulliuique ad jus evincendum momenti, a selectis Judicibus dicta sunt. Quapropter in cæteris tantum, quæ vel ad vellicandam Historiam, vel ad institutum Romæ judicium deprimumdum congesti, omnis nunc opera desudabit.

CAPUT PRIMUM.

Eleutheri de instituta Romæ Congregatione, necnon de primo selectorum Censuram examine, commenta, fabulle, diſſidia, calumnia recensentur, ac rejelluntur.

Quod Pelagianis vitio dederat Augustinus, (1) *Vobis parum est, Judices nolle, nisi etiam vos facere insuper audeatis, id tu in gloria parte reponis, dum in delectis Romæ Censores omne maledicentiæ genus exerces, ut omnem illis in ferendo judicio fidem, & auctoritatem eripias; pauculis illis duntaxat exceptis, qui a Molinianis partibus teterant. Et nos quidem harum calumniarum, somniorumque partem haud modicam, de Gregorio Coronello, Joanne de Rada, Francisco Pegna (quamquam hic Censuris officio sanctus non est) a tuis antea publicatam, abunde depulimus §. 8. ac 10. Præfationis, necnon lib. 1. Historiæ, cap. ultimo. Cetera, de tuo addita, adeo sunt insultatis, & ineptia plena, ut risum verius, quam stomachum moveant. Equis enim risum contineat, ubi seria te, gravique oratione narrantem audit, Clementem VIII., factiosus Cardinalium Dominicanorum, Alexandrini-nimirum, & Afulani, coitionibus occupatum, malignisque Francisci Pegnæ, Rotæ Romanæ Decani artibus circumventum, Censores, in Societatem male animatos, nec satis pro argumenti dignitate peritos, ex ipsorum investigatione, atque designatione, nuncupasse? Horum bene multos, beneficiis partim acceptis, partim speratis, Cardinali Alexandrino fuisse obstrictos? Nonnullos in Cardinali Afulani aula assidos? Itos e Gallia exules, Francisci Pegnæ beneficentia sustentatos? Illos in tribunali Rotæ litibus implicitos? Quosdam, editis Romæ libris, Sacri Palatii Apostolici Magistro factos obnoxios? Aliquos Domini-*

canis & sanguinis, & amicitia federe iunctos? Aliasque id genus nugas, ad deprimumdum Censuram judicium venditatas?

Sed sunt hæc, inquis, partim ex libello supplici, per ea tempora Pontifici dato, partim ex Codice MSS., Congregationes undecim complectente, descripta. Dubito: nec quemquam usque adeo impudentem fuisse, puto, ut Pontifici Maximo iniquorum Censuram delectam, aliena investigatione, ac suggestione factum, in faciem objecerit; competentique habeo, nullo Notariorum MSS. Codice contineri, quæ ex privatis domesticorum criminatorum quaternionibus excrispisti, aut etiam corrupisti. Sit ita tamen, ut notas, easque de selectis Censuris querelas detulerint tui; hinc potius facile colligo, eas & calumniae plenas Romano Pontifici visas esse; cum, hac ipsa expostulatione posthabita, atque rejecta, delectos semel Censores, confirmarit, neminemque illorum unum officio depulerit; immo illorum aliquos sacris honoribus, ac dignitatibus auxerit. (2)

Quam inepte, stolidique tua illa de infensis Societati Censuris, Dominicanorum Cardinalium suggestione, delectis calumnia structa sit, (3) non ipsa duntaxat evincit Clementis VIII. in Societatem propensa voluntas, ingentibus beneficiis Christiana Orbi testata, animique juris, & æquitenacissimus; Cardinalium Alexandrini, & Afulani eximia in Deum pietas, a summis Scripioribus (4) commendata; de quo tam indignas artes, & coitiones suspicari nefas est: verum etiam factus a Clemente VIII. duorum Cardinalium (5) delectus, qui primos Censuram Congregari moderarentur, iisque præfessent. Illos quippe, ut lib. 2. cap. 2. probatum est, elegit ex omnibus, qui Societatem præ cæteris coleret, fovissentque. Ut quid autem infensis Societati Censores, seu fupte genio, seu aliena investigatione nuncupasset, qui munificentissimos Societatis Mecænatas, atque patronos congressuum moderatos, ac præfides dedit? Fraude vero, atque perfidia lectores fallis, qui ut finitram de selectis Censuris suspicionem, jam tum apud viros eruditos enatam, exceptionemque adversus illorum judicium datam, ostendas, istam Joannis Garcia Professoris Valli-foletani, ad Joannem Baptistam Plumbinum scribentis, periodum in eos misere regeris, *Auctoritas Virorum, qui Molina contradicunt, me moveret, nisi satis animadvertorem, in his particulares respectus miseri, quos penetrare non est difficile. Adde etiam, in questionibus tam acutis, & subtilibus non omnium esse, licet pro doctis teneantur, securum judicium ferre.* Integram enim Epistolam a te lib. 2. cap. 12. recitatam lætitanti perspectum est; ne per somnium quidem de Romanis Consulibus agi, tota illa Garcia ad Plumbinum Epistola, sed de nonnullis Hispaniæ Professoribus, de quibus tuus ille Garcia, Molinianas chimæris mentem patius, finitram nescio quam suspicionem imberat.

Quare eodem est habenda loco tua illa de Romanis Censuris structa calumnia, quo altera paris audaciæ de Francisco Pegna sycophantia; quem eorum Hispanorum partibus implicatum dicis, qui non doctrinam solum Jesuitarum, sed mores, institutum, ipsique adeo Fundatorem Ignatium, dum adhuc in vivis esset, acerbis obtreccionibus infestabantur. Mendacium illud tuum revincit in primis temporis nota. Quo enim anno Ignatius excessit ad superos, nimirum 1556., annum, ut ut maxime, decimum-seximum numerabat Frasciscus

(1) Lib. 3. primi Operis contra Julianum c. 1. (2) Vide lib. 2. cap. 4. (3) Vide lib. 3. cap. 45. (4) Ciaconius. Ughellius. Oder. Raynaldus. (5) Card. Madrutius, & Arrigonius.